

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber
specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput XXXIII. De minimo Sancto et die bonitate dei.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](#)

ad eam : « Obsecro, dic mihi quid per hoc notatur quod tibi canimus : *cujus vultum ac decorum concupivit Dominus?* Quæ est illa facies tua quam Dominus in te concupivit ? » Quæ respondit : « Vultus meus est imago venerandæ Trinitatis, quam in me Dominus concupivit, quia nunquam eam magnis depravavi peccatis. Decor autem meus est illud eximium decus, quo Christus fideles suos sanguinis sui colore inæstimabili pulchritudine decoravit. Et scias quoties homo communicat, toties decor ille renovatur et augeatur ; ut verbigratia , qui semel tantum communicat, decorum illum in anima sua duplicavit. Qui vero centies aut millies communicaverit, toties decorum illum in anima sua superauxit. »

Cum virgo sanctam Catharinam pro quadam sibi devota exorasset, illa respondit : « Dic (sibi) ut legat mihi : *Laudate Dominum omnes gentes*, et Antiphonam : *Vox de cælis insonuit: Veni, dilecta mea, veni, intra thalamum Sponsi tui, quod postulas impetrasti, pro quibus oras salvi erunt;* admonens me gaudii quod habui cum Christus Rex et Sponsus meus his verbis me vocavit : cum enim vox illa ad me delata fuit, tantus amor succedit cor meum, et tam ineffabili gaudio resolvebar, quod omnis horror mortis in nihilum est redactus. »

Vultus in
Sanctis est
imago
SS. Trinita-
tis, quem
concupiscit
Dominus.

CAPUT XXXIII.

DE MINIMO SANCTO ET DE BONITATE DEI.

SABBATO quodam , dum cantaretur Sequentia : *Mane prima Sabbati*⁴, in illo versu : *Ut fons summæ pietatis,*

1. Sequentia in honorem Dominicæ Resurrectionis, in cuius ultima stropha sic ad B. Mariam Magdalenam sermo dirigitur : *Ut fons summæ*

cogitabat quot et qualia dona inenarrabilia de ipso fonte omnium bonorum emanassent, et sine fine emanant. Et ait Dominus ad eam : « Veni et vide minimum qui est in cœlo, et tunc poteris cognoscere fontem pietatis. » Illa vero cogitare cœpit ubi illum posset invenire, aut quomodo eum valeret agnoscere. E etecce occurrit ei vir quidam viridi amictus vestimento, crisplos habens crines et glaucos, mediocris staturæ, pulcher facie nimis et decorus valde. Cui illa : « Quis es tu ? » Respondit : « Ego eram in terris raptor et maleficus, et nunquam bonum opus feci. » Et illa : « Et huc quomodo in gaudium intrasti ? » Et ille : « Omnia mala quæ feci, non ex nequitia, sed quasi ex consuetudine et melius nesciens perpetravi, quia ad hoc a parentibus nutritus eram ; ideoque in fine per pœnitentiam Dei misericordiam sum consecutus, et centum annis fui in locis pœnarum, et multa pertuli tormenta, et nunc sola et grata ita Dei pietate huc in requiem sum deductus. » Tunc ille omnia bona quæ Deus tam misericorditer in ipso peregit, isti quæ hæc vidit, tradidit, et hoc illi erat lætitia magna quod hoc facere potuit. Sicque fontem pietatis cognovit in minimo ; quia si Deus talia operatus est in eo qui nil boni peregit, quid in virtuosis Sanctis suis perficiet ?

Raptor et
maleficus
in morte
pœnitens
pietate Dei
ad requiem
pervenit.

CAPUT XXXIV.

DE SANCTO BARTHOLOMÆO.

VIDIT aliquando sanctum Bartholomæum Apostolum in gloria mirabili, habentem ante se auream crucem. Et cum secum miraretur quid illa Crux designaret, dixit ad eam pietatis, qui te lavit a peccatis, servos suos atque tuos mundet data venia.